



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

10. Octobris. Elegit vos Deus, ne vestrum animum humanæ res viles, & labiles irretitum tenerent, & vestrum cor in varias partes distractum occuparent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

lia, & rosas, luos etiam in deserto usque  
ad delicias pascit. Pone curas tempora-  
lium; cura, quæ Dei sunt, reliqua curabit  
omnipotens,

10. Octobris,

*Elegit vos Deus, ne vestrum animum  
maneres viles, & labiles irretitum tene-  
rent, & vestrum cor in varias partes di-  
stractum occuparent. S. Ignat. Epist. ad  
Hispan.*

**Q**uibus te periculis generoso quondam  
pede subduxisti, ad ea tacitis non est  
desideriis redeundum. Etiamnum infir-  
mus, periculorum, & fraudum plenus est  
mundus, ac erat, dum tuo eum contemptu  
dignam reputabas.

Ardet adhuc malo igne Sodoma, malè  
à pice, & sulphure olet, nec oculo redeun-  
dum est eò, unde pridem non pedibus  
modò, sed & animo recessisti. Recidiva  
periculosior est.

Quòd terrenis altior has contempseris,  
& amores à perituris ad æterna transtuleris,  
opus naturæ non fuit, sed gratiæ. Væ  
si huic libellum pares repudii. Vivit, vivit  
vêtque Deus, cui te, & tua consecrasti.

Manq

Mannâ te pascit cœlum, cur allium, & cepas esuris? certum destructi stomachi indicium est, saniora respicere edulia, & appetere noxia. Si ollas carniûm suspiras, cave, ne cum illis computrescas.

## II. Octobris.

*Mundities si modesta sit, & gravis, ut compositi, ornatique animi testis est, ita nimia, quæ placendi studio plerumque sumitur, neglectui habenda. S. Ignat. apud Barr.*

**O**Culis placere hominum, ut commune studium est plurimis, ita est inanissimum. Videri appetunt, quæ inde utilitas? placere satagunt, quis tanti laboris fructus?

Otiosæ mentis est comendo corpori tempus dare, quod æternitati fuerat consecrandum; curas capillo in ordinem redigendo applicare, quanta sui abjectio! quâ quisque lege jaceat, quid facit ad utilitatem?

Si tanta nobis cura de animæ decore, ac munditie foret, si tanta divinis, quæ humanis oculis placendi cupido; quàm sancti, & quàm citò evaderemus!

Ni